

formatam, auderent, vel tentarent, Ecclesiae puriori universae id minus praejudicare eo magis certum esset, quo notius est, eum, qui talia tractare sustineat, de rato cavere, & autoritate debita, tum divina, tum humana, debere esse instructum, nisi nihil magno conatu agere debeat.

§. III. *Controversias tres esse, de Persona Christi, de praedestinatione & Epulo Sacro, in quibus a Reformatis discrepamus, nullum est dubium. Enimvero quare alia capita controversa praetermittantur, tanquam essent minoris ponderis, causa prorsus est nulla. An credi possit, controversiam de Baptismo esse nullius momenti? An doctrinam Adiaphororum, ubi de unione agitur, in censum plane non vocandam esse sibi quisquam persuaserit? An his tribus confectum esse negotium judicemus? Sane, ut error errorem peperit, ita hic factum est, ut ex una doctrina negata, aliae perversae satis sententiae propullulaverint, de quarum excussione non minus, si exacta concordia iniri debeat, laborandum esse videtur. An quis dixerit, Articulum de Principio fidei, de Deo, de Lege & Evangelio, de Ministerio, Fide & Justificatione, de Ecclesia & aliis fidei momentis gravissimis, esse prorsus immunem, & ita comparatum, ut unitas locum habere queat? Nec sufficit ad hanc unionem provocare, quam in eundam invadeat in quibusdam praecipuis unitas: vel hoc enim falsum principium nos cogit, ut, nisi vulnera ex fundamento curentur omnia, corpus aliquod pro sano & incolumi habere non possimus.*

§. IV. *Dicitur, consensum inter Protestantes in 7. punctis consistere, quod utrinque statuatur, 1.) duas esse naturas in Christo, divinam & humanam. 2.) illas naturas unione personali esse conjunctas. 3.) naturas non confundi. 4.) essentielles proprietates non aboleri. 5.) personam non dividi. 6.) personam Christi θεου & σωτηρίας esse omnisciam, omnipotentem, omnipraesentem, adorandam. 7.) passiones, quas sustinuit Christus, infiniti valoris esse ad homines redimendos.*